



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

XL. Quis Confirmationis sit Minister?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35233**

ipse requirit de Confirmatione. Ad hanc in genere habemus formam, *Act. 8.* ubi dicuntur Apostoli orasse cum manus imponerent; allusitque ad *Preces Mysticas Paulus 2. Cor. 1.*

AD III. Mentitur se ex Verbo Dei id dicere: *Non à me, sed à Domino auctoritate pronuncio: &c.* Nec in oleo sine Christo salutem quaerimus. Sic tamen dicitur *oleum salutis*; sicut *4. Reg. 13. Sagitta salutis*; *Luc. 1. Scientia salutis.* *Actor. 15. Verbum salutis: &c.* Hocque magis, quod ex opere operato sit salutis: Non ex natura elementi, ut & panis, & aqua, sed ex usu Sacramenti.

### Q V A E S T I O X L.

*Quis Confirmationis sit Minister?*

LUTHERANI, ut *Kemnitius part. 2. Examina. pag. 3:4.* & CALVINUS, cum suis, post *Vicleffum, Institut. lib. 4. cap. 19. §. 10.* Confirmationem tum esse negant Sacramentum; tum, et si foret, non ad solos id pertinere Episcopos petunt. Cum scilicet vix tenue discrimen agnoscant Episcopi ab Sacerdote.

SVADENT istis. 1. Calvinus ait, Quia error est Donatistarum, à Ministri dignitate pendere Sacramentum. 2. Quia, Presbyterii succedunt Apostolis. 3. Quia, *1. Tim. 4. Noli negligere gratiam, qua data est tibi per impositionem manuum Presbyterii.* Sic & Ananias, *Actor. 9.* magis imposuit Paulo laicus. 4. Quia Gregorius Confirmare etiam Sacerdotibus concessit. 5. Kemnitius: Quia Hieronymus ait, quod solis id Episcopis tribuatur fieri ob honorem Sacerdotii: non ob legis necessitatem.

AVTOR. Solus Episcopus Minister est Ordinarius Confirmationis: At etiam

ex dispensatione Sacerdos Confirmare potest. 1. Sic Scriptura: *Act. 8.* Petrus & Ioannes mittuntur ut Confirment à Philippo baptizatos in Samaria. *Act. 19.* Paulus imponit manus baptizatis per alios. 2. Sic Traditio Ecclesiae constans, & vniuersalis praxis habet.

DICO AD I. Pendent à dignitate Ecclesiastica; non à Morali; ut Donatistae volebant.

AD II. In aliquibus, non in omnibus: Nam in Coena sunt creati Sacerdotes, per *Hoc facite*: at post resurrectionem, Episcopi, per hoc: *Ioann. 20. Ecce Ego mitto vos.*

AD III. Ibi agitur de Ordinatione, non de Confirmatione. Et hoc, *Presbyterii*, exponit Chrysostomus *Chorum Episcoporum*: Nam plures Ordinant; at vnus Confirmat. Ananiam impositione manuum fuit Curatoria caeci, non Confirmatoria; uti ante Baptismum facta.

AD IV. Licet; Extraordinaria potestate; idque potest Sacerdos ex potestate Ordinis, ut & Episcopus; non iurisdictionis. Nam Character est signum pacti, in sacerdote, Conditionati; in Episcopo, Absoluti; Vnde is est Episcopus inchoatus; hic, perfectus. Nec n. Character est physicum quid; sed spirituale signum à Deo inditum. Hinc & Scriptura nouit differentiam Presbyterii, & Episcopi: *1. Tim. 6. Aduersus Presbyterum, simplicem, accusationem noli accipere, tu Episcopus, nisi sub duobus aut tribus testibus.*

AD V. Imò contrarium etiam probat S. Hieronymus ex *Act. 8.* Neque tamen negat, fieri nunquam posse extraordinarie; Nam ita lex seu necessitas de natura rei permittit; at vetat de ordinaria Domini voluntate. Quae